

Datis Malabariae apud Nostram ecclesiam Syriacam Puttenchensem, die 4^a Novembris Anno Millesimo Septingentesimo quinquagesimo tertio. Sub nostro signo, et sigillo.

Ioannes Ep. Archiep. el. Cranganoren.

Alvarus Cardoso Secretarius.

In possesso dei gesuiti, Goa 52 s., 264.

b) Attestato del missionario gesuita Gaston Coeurdoux.¹

Missam a Paternitate vestra novam constitutionem «Omnium sollicitudinum» omnimoda submissione et veneratione accepimus. Optandum foret ut tandem via Episcoporum legitima, post scilicet duos annos a quibus Romae aedita fuit, ad nos perveniret. Praesens bellum, locorum distantia, difficultas itinerum his regionibus maxima, mors Episcopi Mailapurensis, obstitere quatenus nobis intimaretur ab Episcopis, quod tamen post breve tempus fiet ut aiunt, quod non impedivit quin eius executioni incumberemus, faciendo etiam plus quam iubetur, nostro more.

1º Etiam si non spectet ad hanc urbem Gallicam Pondicherry, ut pote sitam extra tres celebres Missiones Carnatensem, Mayssurensem, Madurensem, sic egimus respective ad Pareas: convenient scilicet hic in magna Ecclesiae capella iuxta altare maius, ita ut capella illa sit pars Ecclesiae, imo et Sanctuarii. Capella illa separatur reliqua Ecclesia mensa Communionis simplici in uno latere, ex alio clathris quibusdam ad normam mensae Communionis cum porta qua daretur transitus ex hac Capella in reliquam Ecclesiae partem, eo scilicet modo quo Cardinalis Turnonius, dum in illa domo versaretur, fieri curaverat, ut testantur eius litterae typis mandatae: haec ultima clathra eorumque portam auferri mandavi. Quae licet paulatim facta sint, non leve tamen damnum secutum est, defectio catechumenorum, Christianorum Xutrum Rebellio, conventus, absentia ab Ecclesia, aliaque innumera scandala, quibus mederi non potuerunt nec exhortationes nostrae et preces, nec minae nec ipsa Gubernatoris authoritas, a quo, me insinuante, praecipui tumultus authores in carcerem missi sunt. Pacati tamen sunt animi post duos menses, hac unica de causa quod Parei ex seipsis, semper ut antea, in locum sibi destinatum convenient, si paucos excipias, idque tum ex consuetudine tum ut gratum facerent nobilioribus quorum auxilio, protectione, eleemosinis indigent. Hoc autem unum Xutros exasperat, quod a Gentibus tum consanguineis, tum superioribus sibi, quorum ope perpetuo indigent, exprobraretur, Christianos a legibus paternis, a patria, a casta sive tribu defecisse, factos esse Pareas, atque sic habendos esse in usu vitae civilis, et reipsa sic haberentur. Numerus autem illorum Xutrorum istius Parochiae accedere videtur ad quatuor millia. Res autem nota est, in ista Francide [?] Ecclesia prae caeteris istius orae, vigere pietatem morumque innocentiam, et caeteris afferri in exemplum. Verum suarum legum, consuetudinum, nobilitatisque tenaces sunt, ut

¹ Cfr. su di lui MAX MÜLLER, *Die Wissenschaft der Sprache* I, Leipzig 1892, 209 s.